nobis est constitutum, simulatque Ven. Senatus scho-
lam aperuerit: Vobis paucis aperire nostram domum,
vosque in veterem convictum recipere, non plures.
quam uni meæ mensæ commode adjungi possint, ut levi-
or fiat uxori administratio. Et ego linguas curam:
quam nequeunt præcidi. Date te igitur interea et
suis quisque studiis incumbite. Nihil est efficacius
ad iram Dei placandam, ipse ubi temperavit, priviam
de rebus omnibus vos faciam certiores. Institutum
Nicolai reliquos adolescentes alacriores reddit, ut i-
psi quoque aliquando, cum maturuerint eorum stu-
dia, et justa mora temporis roborata fuerint: in
scholas celebriores emandari possint. Non cuivis
homini contingit adire Corinthum. Quo consilio Doct.
Moll. filium mittat Witebergam, non intelligo, ubi scho-
las et Ecclesias vastat aper e silva, ubi tot fanatici
colei: sed qui Dominum non agnoscunt quae sunt, ubi tot
sunt vulpecula, quae vineam Dei demoliuntur, ubi denique
quae vera, certa, fixaque sunt confiteri pro sacrilegio
habetur. Sed nolim videri curiosus. Curtius noster
superioribus diebus e schola Julia literas huc misit. Hic
hujus illic Theologiam profitebitur in scholis et con-
cionabitur in Ecclesia, bene itaque consultum est illi
Academiæ e tempore. Heidelbergæ Mylius noster
cum suo Collega exclusus est, quod formulariis accede-
re noluisset. Ita passim in Germania justo Dei
judicio, pellitur e medio sapientia, regeritur eos.
Quum gaudeo me videre terram. Vale, dic salutem
clariss. Cos. Dn. Jacobo Lakemanno, et pueris no-
stris omnibus, quos scio tibi curæ esse. Bremæ
7. Calend. Octob: 1577.

Johannes Molang.

294

Pax Christi.

Hoc sane unum acerbum vulnus pestilentia scholæ
nostræ inflixit: quod te Nicolae Campenti (?) i...

[= Ancr. a. 7: N. 305]

similes bonis ingeniis præditos Juvenes præ po-
perè à nostris exercitationibus distraxit. Nam
institutum istud vestrum de adeunda Academia, qu(od)
tua messis adhuc in herba sit, equidem probare non
possum, perlege nostros versiculos, præpropera
et fallax multos fiducia vertit. Matura ista solent
minus esse negotia fraude. Sed tamen quum id
quod tute exoptas, idem placeat tuo patri, atq(ue) ille
gravissimum virum D. Doct. Hermann Molleru(m)
habeat (ut scribis) huius incepti autorem non pos-
sum obsistere, neq(ue) ausim magnoperè refragari.
Age fac periculum, benè vertat, dum constet modo,
neque .... pollente Molano hoc fieri negas,
probante. Sistam cum rebus hic relictis remit-
to ...... quo indusia, quæ quum hinc abires,
erant immunda, ad reliquas sarcinulas adjun-
xit. Non fueratq(ue) tam ambitiosa gratiaru(m)
actione, nihil feci, nisi quod facere me decuit,
utinam plura vel eraq(ue) potuissem. Oro meis ver-
bis Venerandum virum patrem tuum, et Docto-
rem illum tui patris amicum conjunctissimum,
qui tua studia nobis diligentissime commenda-
vit, ut boni consulant hanc meam erga te indust(ri)-
am, exiguam quidem illam, sed fidei plenam. Plu-
rimum tibi commodabit etiam Witebergæ com-
mendatio et autoritas ejusdem Doctoris, cujus fi-
lio, quum te adjungendum intelligam, discessionem
tuam multò æquius fero. Non egebis posthac
meis præceptionibus, magister ille artium,
qui vobis operam dabit, tot annis versatus in
Academia facile efficiet, ut abundens, cujus exæ-
dificatio, si respondebit fundamento: erudi-
tio et pietas, quæ modò in te inchoatæ sunt, mer-

gent paulatim et quotidie incrementis majo-
res fiant, donec ex Academia bonarum artium
nutrice, pleni fructu doctrinae et virtutis, do-
mum reversi lumen quoddam exstent nobilissi-
mae civitatis. Sed est in illis celebritatibus infinita
quaedam discincta multitudinis licentia, quae tan-
quam aliqua violenta tempestas: non eos solum, quo-
rum mores nondum erant in tuto, secum praecipites
trahit: sed etiam bene jam pridem confirmatos,
accurateque institutos, in eandem ruinam invol-
vit. Ita fit, ut labor hic noster, quamlibet perti-
nax et indefessus in multis discipulis sine profe-
ctu pereat, in paucis et si non nullum: longe ta-
men inferiorem, quam pro nostra expectatione
locum dignitatis consequatur. Nihil est opus meis
querimoniis, res ipsa te faciet prudentiorem,
felix, quem faciunt aliena pericula cautiorem,
tu memineris [illegible], sicut nos docuit ex A-
postolo Paulo. Tales, qui sunt, ita recte faciunt.
Vale, nam famulus urget scribentem. Saluta ex me
tuos parentes officiose cum familiaribus pueris
nostris. Bremae 7. Calend. Octobr. Uxor te sa-
lutat mea et pueri adhuc imbecilles.

juventutis tuae custos.

Johannes Molanus 1577.

(295) [= Moer. a. 7: Postscriptum zu Nr. 305]

Georgius Bremer, qui jam in tuam classem
descenderat, utinam vel biennium totum tecum
hic commorari potuisset, ostendisset civitati co-
mite: et Bremae Witebergam quandam esse.
At nos in tanta multitudine rerum discendarum,
in his scholis popularibus, quas triviales con-
temptus causa vocant, nimis angustis anno-
rum spaciis circumscripti sumus. Quid enim!
citius quam asparagi coquuntur ingeniosissi-
mi quique et studiis aptissimi, quasi in ter